

tua respublica, Deo gratum opus facietis. *Al.* Decet. *So.* Et sic, quemadmodum supra diximus, in diuinum splendorem intuentes agetis. *Al.* Videtur. *So.* Quin etiam illuc respicientes, vosmetipsos vestraque bona perspicue discernetis. *Al.* Certe. *So.* Nonne sic recte, atque bene agetis? *Al.* Agemus. *So.* Enimuero fideiubere paratus sum, vos, si ita vixeritis, felices fore. *Al.* Locuples certe fideiussor. *So.* Contra, si iniuste vixeritis, intuentes in tenebras diuinitatis expertes, consimilia tenebris opera, quemadmodum necesse est, facietis, vos ipsos penitus ignorantes. *Al.* Videtur. *So.* Cui enim, o amice Alcibiades, potestas adest, quodcunque libuerit faciendi, mente vero captus est, quidnam putas illi continget: siue priuatus ille quidem, siue respublica sit? veluti si aegrotanti cuidam libera licentia sit, rationem medici nullum habendi, sed tanquam tyrannidem exercendi, sic, vt nemo hominem absterrere valeat: quid illi euenturum putas? nonne verisimile est, corpus iri corruptum? *Al.* Vera loqueris. *So.* Quid vero, si in naui apud quempiam omnis licentia sit, quodcunque videatur agendi, mente tamen et gubernandi peritia careat, num cernis, quae ei et sociis euentura sint? *Al.* Opinor equidem, illum et se ipsum et vna socios perditurum. *So.* Nonne igitur omni reipublicae, omnique imperio et dominationi, vbi virtus abest, contingit, vt male agat? *Al.* Necesse est. *So.* Non ergo tyrannis, optime Alcibiades, aut nobis aut reipublicae paranda est,

— επιπληττοι τις αυτω τι] επιπληττοι τι εαυτω τι. — ποιειν ο δοκει] C. V. ποιειν ο δοκειν. — παντες αυ] αυ omiffum

quod Diis gratum sit acceptumque. Ita Alcib. II. c. vlt. κινδυνευει inquit, γουν και παραθεους - - - τετιμησθαι. vid. quae Socrates disputat de θεοφιλει in Euthyphr. c. 7. f. et

Kant Grundl. z. Met. d. Sitten p. 91. 92.

3 βουλεται, γουν] γους h. l. idem est ac επισημη, σωφροσυνη.